

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0069

0067

0073

0063

0078

0058

0118

0018

0168

0568

1068

quod filii Israel praevaricati sunt, et nemo, nisi Achor, pec-
caverat, qui regulam auream et vestem et argentum furatus
fuerat. Achor ille exemplum mali religiosi praefert, qui fur-
atur regulam S. Augustini, quae idcirco aurea dicitur,
quia pretiosa, splendida et ponderosa, caritate est plena. Hanc
furatur transgressor. Vestem etiam injuste accipit, dum ad
superfluos usus eleemosyna abutitur. Et argentum humo
operitur, dum gratias sibi datas ad quaestum humanae laudis
convertit. Pro ejus negligentia non solum ipse, sed et tota
communitas turbatur.

Ab hoc loco non longe ante civitatem venimus in eum
locum, ubi coecus sedebat secus viam mendicans, quando
Dominus de Galilaea ascendit in Jerusalem, et ibi eum Domi-
nus illuminavit, ut habetur Luc. 18. In hoc loco legenda de
processionali solvimus et procidentes (**204 A**) in terram
vestigia Salvatoris nostri deosculati sumus et indulgentias
recepimus (†).

De domo Raab meretricis et de domo Zachaei et tribulatione peregrinorum.

Post hoc ad Jericho venimus civitatem, et juxta civitatis
ingressum stat una domus testudinata, vetustissima, quam
dicunt fuisse domum Raab meretricis, de qua habetur Josuae
2. pulchra historia, et ponitur etiam meretrix haec in evange-
lio Matth. 1. in Domini Jesu genealogia. Salmon enim, prin-
ceps de tribu Juda, eam accepit in uxorem, et genuit ex ea
Boos. Et ita assumta est haec mulier de ignominioso pro-
stibulo et posita in gloriose evangelio. Et licet civitas haec
sape fuerit destructa, tamen, mirum dictu, sola domus Raab
meretricis semper remansit et hodie monstratur.

Ulterius domum Raab postergantes venimus ad quandam
magnam domum in medio villae, cujus muri adhuc sunt alti
et spissi, ac si fuisse castrum. Et haec dicitur fuisse domus
Zachaei, quam Dominus Jesus per se sanctificare et consecrare
dignatus est, cum dixit: hodie salus huic domui facta est.
In qua comedit et multos peccatores cum Zachaeo convertit,
Libenter ingressi fuissemus, sed non sumus permissi. Stetimus

Ende

Anfang

